

Quo propinquior est salus, eo magis diabolus saevit.

40.

Et interrogavit patrem eius. Quærit Iesus, ex quo tempore Puer huic malo cepit esse obnoxius. At ille ait, ab infantia, seu vt alij legunt, a puero, seu pueritia. Ad quid tamen omnium Dominus, qui omnia noscit, quærit tempus, ex quo adolescenti tantum malum accidit? D. Chryostomus ferm.

Chryost.

51. Requirit, ait, passionis tempus auctor temporis, non vt nescius, sed vt sciens nescientibus prodatur. Denique interrogatio tali tempus aperit, etatem pandit, renouit infantiam, vt tanti mali causa non tangat sobolem, sed parentem, quia a Deo sibi datum pignus ad diaboli gratiam, demonum retulit ad honorem. Pater incredulus filium habuit a demone obfessum: tempus ergo infirmitatis exquiritur, quia dum pater fateretur, a pueritia hoc illi accidisse, fit apertum, quod mali causa, non prolem, sed parentem tangit. Nam si adulto malum accidisset, filij profectio culpa deputaretur. At cum ab infantia demonis sit domicilium, patris crimen est, qui nullo virtutum documento animum pueri formauerat, sed turpi indulgentia in omni vitio errare permiserat. Et sicut ipse pater praua sua vitia, sceleratisque actionibus in animo suo demoni aditum præbuit; sic in corpore, ac animo filij aditum referauit. Quia a Deo sibi datum pignus, ad diaboli gratiam, demonum retulit ad honorem.

Filiorum criminata, ac damnata a parentum vitis originatur.

41.

Et frequenter eum in ignem, & aquas misit, seu impellit, vt alij legunt, vt eum perderet, hoc est interficeret, quod iam supra explicatum manet expositione 3. Sed si quid potes, adiua nos. Ecce incredulitas, quam Christus in homine taxauerat; dubitat enim de Christi potentia, an par esset, vt morbum adeo grauem, & inueteratum posset auferre.

Marci 9. n. 12. Iesus autem ait illi: Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.

Num. 23. Et continuo exclamans pater pueri, cum lachrymis aiebat: Credo, Domine, adiua incredulitatem meam.

VERSIONES.

Syriacus n. 22. Omnia possunt fieri credenti.

Num. 23. Et confestim clamauit pater pueri flens, & ait: Credo ego, succurre defectui fidei meæ.

Arias, Vatabl. Succurre incredulitati meæ. Euthymius. Auxiliare incredulitati meæ.

EXPOSITIO VII.

42. Theophyl.

RETE ait Theophylactus, quod Dominus non subsistit in hoc, quod eos reprehendit, sed etiam medicinam addidit. Nam supra reprehendit Christus hominis incredulitatem: O generatio incredula! nunc verò de querendo fidei remedio admonet. Vnde dicit: Si potes crede-

re. Oblique culpam in hominem retorquet, ob quam eius filius non sit sanatus. Ac si diceret, vt inquit Carthusianus, & Beda: Ille, si salutem non obtinet, non est ex defectu meæ potentia, meorumque Discipulorum, sed ex defectu fidei tuæ. Et cum ait: Si potes credere, non docet hominem, à se ipso solo posse credere; vt oportet enim, non potest homo credere sine Deo, ac eius gratia, sed docet, quod, si homo non credat, tota culpa est in hominem refundenda, cum ipse diuinæ inspirationi sua obduratione obicere ponat.

Carthusian. Beda.

Omnia possibilia sunt credenti. Fides, ex parte petentis, omnia, quæ à me exigit, impetrat, ac adipiscitur. Et recte Christus Dominus ad eius beneficia obtinenda, exposcit parentis fidem; non enim congruebat, vt non credentes, vel dubitantes de se sanaret, ac beneficia sua indignis, & à se auerfis communicaret. Et cum ait: Omnia possibilia sunt credenti, seu, vt habet Syriacus, Omnia possunt fieri credenti, ac si reponeretur omnis potentia in fide postulantis, inquit Theophylactus, Vt cum summa modestia sanaret puerum. Vide autem, quomodo non sua virtuti, sed illius fidei sanantem tribuat, dicens: Omnia possibilia sunt credenti. Non dixit, Omnia possibilia sunt mihi operanti; sed tibi credenti: Vt potentiam expellendi demones, non sibi arroganter assumere, sed alteri modeste tribuere videretur.

43.

Bona confessionum creditur.

Syriacus.

Theophyl.

Christi modestia sua magna abscandis.

44.

Postulat, vt eius fides persciatur.

QUESTIO VI.

Quare, cum homo, se credere dicat, adhuc se incredulum fateatur?

ALDE mira est istius hominis sententia, ait enim: Credo, Domine, adiua incredulitatem meam. In hic dictis prima fronte forsitan videbitur quædam repugnantia inuolui: incredulum enim se esse fateatur, & credere se affirmat.

45. Ratio diffcultatis.

46.

Respondet primò Victor Antiochenus. Atque si credebat, vt se credere aiebat: Credo: qua ratione, Adiua, Domine incredulitatem meam, dicit? Non vnus rationis est fides: est enim fides inchoata, est rursus consummata: exorsus igitur credere, vt Dominus virtute sua, quod deerat aduiceret, opus habebat, aiebant Discipuli quoque ad Seruatorem: Adauge nobis fidem, Luc. 27. n. 5. Quamuis homo crederet, vt ipse dicit credere; tamen ad huc debilis, & infirmus erat in fide: postulat ergo, vt Christus eius fidem corroboraret, ac perficiat, & quidquid in ipso est incredulitatis, & hæsitantiæ auferat, vt filij sanitatem mereatur obtinere. Nam sicut incredulitas patris fuit origo infirmitatis, ita & fides illius sanitatis sit causa. D. Chrysologus ferm. 51. Pater is liberatur fide, ait, qui patris fuerat infidelitate damnatus: nam cui genitoris fides profuit, quomodo ei genitoris perfidia potuit non obesse?

Aatiochena.

Luc. 17.

Parentum merita filijs profunt, sicut et demerita obsumt.

Chrysolog.

Secundò

47. Gregor.

Secundò. D. Gregorius moral. lib. 10. cap. 8. Quid itaque est, inquit, quod se credere asserit, & adiuuari in se incredulitatem querit, nisi quod coartari in suis cogitationibus terram cum mari deprehenderat, qui & exorare certus iam per fidem ceperat, & adhuc incertus vndas perfidia ex incredulitate tolerabat. Contraria, videtur, quod homo dicat, Credo, & inde, adiua incredulitatem meam. Perpende, vt soluas quæstionis nodum. Homo credebatur Christi potentiam efficacem ad sanandum filium suum, ideo hunc ad illum attulit; sicque dicebat, Credo. Quia tamen de efficacia ipsius potentia erat dubius, vt ipse de se testificat apud Marcum num. 21. Si quid potes, adiua nos, miseris nostri. ex sua ergo hæsitacione adhuc in incredulitate detinebatur, nam fides nutans, infidelitas est; & qui in fide dubitat, incredulus censetur. Qui & exorare iam per fidem ceperat, adhuc incertus vndas perfidia ex incredulitate tolerabat.

Dubitans in fide, infidelis.

Matc. 21.

48. Beda.

Tertiò. Beda; Si enim credebatur homo, cur incredulitatem dicebat? Si verò incredulitatem habere se nouerat, quomodo credebatur? Et statim subdit. Vno, eodemque tempore is, qui nec dum perfecte crediderat, simul & credebatur, & incredulus erat. Ac si dicat. Tunc incredulus erat pater pueri, & petebatur fidem; & tamen tunc audenter de se affirmat credere. Incredulus adhuc est, Adiua incredulitatem meam; & tamen de se veluti permatura fide ait, Credo Domine. Vel forte quia ipsa virtus tam potens est, vt breui spacio suæ adrationis non coarctetur, sed fructu, ac efficacia ad ampliora, ac maiora sui spatia sese extendat. Vnde ait Philo lib. de sacrificio Abel. Virtutes carent tempore, nempe quoad sui fructum.

Fructu suo virtutes carent tempore. Philo.

49.

Nostrum desiderium pro merito reputat Deus.

Quartò. Vel, cum audit homo à Christo: Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti: accensus habendi fidem desiderio, ab illo se credere affirmat; sciebat enim, quod efficax fidei votum fidè à Deo sollicitat, ab ipsoque desiderio deriuatur meritum obtinendi fidem; desideria autem nostra cælestium donorum pro merito Deus reputat, vt nobis ipsa cõferat dona. Vnde pater ex voto credere se affirmat ad filij salutem impetrandam, simulque exorat, Adiua incredulitatem meam, vt ipsam incredulitatem deleat Christus fidem illi consummatam infundens, Vno, eodemque tempore, vt ait citatus Beda.

50.

Iustus sua reputat exigua.

Quintò. Simul ait: Credo, & Adiua incredulitatem meam. Homo à Christo illuminatus credidit, & accensus colloquio, ac verbis Domini, iam cum lachrymis ad multam humilitatem, ac virtutis perfectionem euehitur; & inde fidem, quam conceperat, tam imperfectam, & diminutam iudicat, vt incredulitatem dicat; ita eam tam paruam reputat, vt adhuc se in incredulitate detineri præsumat: proprium est enim viri iusti, vt in suis maximè diffidat, nihilque boni de se audeat sperare.

51.

Matth. 26.

Iustus de suis diffidit.

In vltima Cæna dixerat Dominus, se ab vno Discipulorum suorum esse tradendum. Quid tunc Discipuli? Et contristari valde ceperunt singuli dicere: nunquid ego sum Domine? At ille respondens ait: Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet. Matth. 26. num. 22. De vno audiunt tantum nefas perpetrandum; & tamen omnes turbantur, & singuli de se quarunt. Quare sic singuli de se dubitant? Maximè ipsi videbant suum affectum ergo suum Magistram longissimè à prodicione distantem, videbant affectum esse suum, qui licet

in omnibus, vno Iuda excepto, esset valde feruidus, & constans; tamen cum suum agnoscerent, de eo quodammodo diffidebant, ac etiam verebantur, ne minus verum esset, quod de se putabant. D. Leo ferm 7 de Passione. Omnes sibi, inquit, non edito impietatis auctore formidant. Contristati enim sunt, nò de conscientia reatu, sed de humana mutabilitatis incerto, timentes, ne minus verum esset, quod in se quisque nouerat.

Leo.

Matth. 17. Et increpauit illum Iesus, & exiit ab eo dæmonium, & curatus est puer ex illa hora.

VERSIONES.

Euthymius. Et imperauit illi Iesus. Vatablus. Et increpauit illum Iesus. Græcus. Et comminatus est illi.

ALTER TEXTVS.

Marci 9. n. 24. Et cum videret Iesus concurrentem turbam, comminatus est spiritui immundo, dicens illi: Surde, & mute spiritus, ego præcipio tibi, Exi ab eo, & amplius ne introeas in eum.

Num. 25. Et exclamans multum, discerpens eum, exiit ab eo, & factus est sicut mortuus, ita vt multi dicerent, quia mortuus est.

Num. 26. Iesus autem tenens manum eius, eleuauit eum, & surrexit.

Lucæ 9. n. 43. Et increpauit Iesus spiritum immundum, & sanauit puerum, & reddidit illum patri suo.

EXPOSITIO VIII.

SCRIBIT D. Marcus, quod cum videret Iesus concurrentem turbam; multæ turbæ aderant in illo loco, quæ clamore patris Lunatici excitatæ, vt propius, exactiusque omnem rem spectarent, ad Iesum magno impetu concurrerunt, Dei prouidentia ordinante, vt orines per miraculum inducerentur ad credendum in Christum verum Messiam; & ideo puer tantisper vt mortuus iacuit, donec Christi manu eleuatur; & vt etiam omnes agnoscerent, quantum viua fides valeat impetrare, spiritui mandat exire. Hæc expositio videtur germana. Vel dic cum Theophylacto. Nolebat enim coram turba curare, vt ostentationem fugere doceret. Populo concurrenti Dominus præcucurrit, & antequam plures spectatores adueniret, puerum sanauit. Noluisset expectare paulisper populum conuolantem, cum plures suæ potentia testes esset habiturus, vt ostentationem fugere doceat. Comminatus est, seuere præcepit. Surde, & mute spiritus, sic vocatus ab effectu cum puerum,

52.

Theophyl.

Ostentatio fugienda.

puerum, mutum, & surdum redderet. Et notandum, quod cum discerperit, ac dilaniat puerum, dicitur spiritus, cum vero seminat zizaniam, inimicus homo, Matth. 13. num. 52. Cum discerperit, eius furor in corporali vexatione versabatur; cum autem zizaniam seminat, ostendat se corruptente mores, & trahente homines ad vitia, in quo eius hostilitas, ac inimicitia maxime declaratur. Ego precipio tibi; vt distincte cognosceretur tanti miraculi auctor. Et amplius ne introcas in eum. Hoc addit, nam per interualla exire, & redire videbatur in puerum. Stabilium ergo Dominus suum beneficium, vt non temporaneum sit, sed perpetuum; talia enim sunt Dei dona.

53. Et exclamans. Edidit nempe terribilem rugitum vocis inarticulatae. Et multum discerpens eum, seu cum discerpisset, seu dilaniasset, conuulsisset puerum, ab illo recessit. Et factus est sicut mortuus: permisit hoc Iesus, vt demonis malitia patefieret, qui compulsus exire, adhuc nocet, quantum potest. Vt multi dicerent, quia mortuus est. Quae verba moralizat D. Gregorius lib. 10. cap. 17. Velut mortuus, quippe ostenditur, quia a maligni spiritus potestate liberatur, quia quisque iam terrena desideria subegit, vitam in se carnalis conversationis extinguit, & mundo mortuus apparet. Quem multi mortuum dicunt: quia qui spiritualiter viuere nesciunt, eum, qui carnalia bona non sequitur, extinctum funditus arbitrantur. Iam mundanus spiritus exclusus erat a corpore pueri; & tamen adhuc puer circumstantibus Iudaeis mortuus iudicatur. Si multi mundiales Iudaeos imitantur; plangunt eos, qui renuntiant temporalibus, Religioni se tradiderunt. Quia qui spiritualiter viuere nesciunt, eum, qui carnalia bona non sequitur, extinctum funditus arbitrantur.

54. Iesus autem tenens manum eius, seu, vt est in Graeco, apprehensa manu eius, surrexit puer iam sanus, & incolumis; hoc sic est ordinatum a Deo ad maxime miraculum illustandum. Nam cum illo horribili spectaculo pueri desperati, attoniti facti sunt homines, tunc manifestior illis facta est Iesu potentia, quando omnia maligni spiritus nocumenta vno manus tactu depellit, Scribarum proterua mirabiliter deuicta.

Matthaei 17. Tunc accesserunt Discipuli ad Iesum secretò, & dixerunt: Quare nos non potuimus eicere illum?

Num. 19. Dixit illis Iesus: Propter incredulitatem vestram: Amen quippe dico vobis, si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis monti huic, transi hinc illuc, & transibit: & nihil impossibile erit vobis.

VERSIONES.

Syriacus n. 18. Tunc adierunt Discipuli priuatim.  
Arabic. n. 19. Propter paruitatem fidei vestrae.  
Syriacus. Si fuisset in vobis fides in-

star grani sinapis: dicetis monti huic: Decede hinc, & decederet; & nihil praeualeret vobis.

Dicetis monti huic: Demigra hinc illuc; & demigrabit.

ALTER TEXTVS.

Marc. 9. n. 27. Et cum introisset in domum, Discipuli eius secretò interrogabant eum: Quare nos non potuimus eicere eum?

EXPOSITIO IX.

VNC accesserunt Discipuli ad Iesum. Illi scilicet nouem, qui in mysterio Transfigurationis relictis sunt ad montis pedem, & demonium non potuerunt eicere, Secretò, seu secretim à turba, ac domi, vt addidit D. Marcus. Verebantur, vt inquit Abulensis quaest. 160. ne aliquam suam culpam eis obiceret Christus, ob quam demonium expellere non valuerunt, ne inde maxime pudore afficerentur coram multitudine populi, ideo secretim quaerunt.

Dixit eis Iesus: propter incredulitatem vestram. Arabicus vertit: Propter paruitatem fidei vestrae. Apostoli habebant fidem; sed ad demonium tam potens expellendum maior fides requirebatur. Ad miraculi operationem, vt iam supra dixi quaest. 4. requiritur fides vtriusque partis, tam eius, qui illud habet edere, quam eius, cui conceditur. Huius peccatum, scilicet parentis, cum esset notorium, publice increpat Dominus supra. O generatio incredula! Discipulorum autem defectum, quo apud se fide fluctuare ceperunt circa hoc demonium crudeliter saeuum, ac inueteratum eiicendum, cum aliis multa iam eiecissent, vt illorum auctoritati consuleret, secretim arguit. Si habueritis fidem sicut granum sinapis, id est fidem humilem, ostentationemque declinantem; & inde hominum iudicio paruam, & exigentiam; in se tamen viuam, acrem, vehementem, ac perfectam, & ardentem instar grani sinapis, dicetis monti huic, Transi hinc illuc; monti huic, Thabor scilicet, explicat Abulensis, ex quo ego descendo. Quod germanicè est dictum. D. Hieronymus, D. Paschasius, D. Thomas, Lyranus per montem Daemonem interpretantur, dicetis, transi hinc, scilicet à corpore huius pueri Lunatici. D. Augustinus per mouerem grauem tentationem, praesertim ambitionis, & superbiam, quae vincitur fide, ac spe, Deum orando, ac fiduciam, & spem in eo reponendo.

QUESTIO VII.

Quare fides ad montes transferendos cum grano sinapis comparatur?

Magna, ac excellenti fide agit hic Dominus, vt notauit D. Hieronymus. Magna est fides, quae grano sinapis comparatur. Et idem docent Origenes, D. Paschasius, Beda, Theophylactus, S. Thom.

Quae  
dicitur  
discerperit  
zizaniam  
excitantis,  
quodam in  
corporis vexa-  
tione.

Ci

53.

Gregor.

Mundani eos,  
qui renun-  
tiant tempo-  
ralibus, mor-  
tuos iudicant.

54.

55.

Abulens.

56.

Arabicus.

Peccata pu-  
blica publice  
increpanda.

Abulens.

Hieronymus.

Paschasius.

D. Thom.

Lyranus.

August.

57.

Hieronymus.

Origenes.

Paschasius.

Beda.

Theophyl.

S. Thomas. S. Thomas, & alij. Quod rectè probat D. Hieron. ex eo quod regnum caelorum grano sinapis conferratur; & Apostolus dicat 1. Corinth. 13. n. 12. Si habuerit omniem fidem, seu, vt legit D. Hieronymus, Si habuerit totam fidem, suauitatem transferam. Ad montes ergo transmigrados requiritur omnis, seu tota fides, ac proinde magna, & excelsa fides. Vnde non mihi placet interpretatio, quam in praesenti Maldonatus, etsi ingeniosè, voluit asserere. Quod Dominus, cum ait Apostolis, si habueritis fidem sicut granum sinapis, id est, si habueritis minimam fidem, quam vobis habere par est, mecum tandiu versatis; nam, vt notauit Barrad. non dixit Dominus minimam fidem, sed fidem sicut granum sinapis. Haec autem, iuxta sanctos PP. magna est.

58. Duplex est expositio. Prima, & valde celebris Patrum. Si habueritis fidem sicut granum sinapis, id est fidem humilem, vt dixi in expositione, minimeque se ostentantem; ac proinde hominum oculis paruam, sed virtute viuam, acrem, vehementem feruidam instar grani sinapis, quod aspectui exiguum, & vile est; attritum autem, & contusum monstrant quantae sit acrimoniae, quantique feruoris; non enim à sola quantitate grani sinapis deducitur ista similitudo, sed etiam simul ab eius interiori virtute. Sic interpretatur D. Chrysofom. homil. 86. in Math. Sinapis meminit Christus, cuius maxima est virtus: Nam cum minima sit; magnitudine virtutis vehementior est ceteris omnibus. Euth. sic exponit. Si habueritis fidem adeo acrem, & vehementem, ac feruentem sicut granum sinapis. D. Thom. ait, Granum sinapis, antequam conteratur, nullam feruorem habere videtur; cum conteritur feruere incipit: sic homo fidelis, antequam probetur, despectibilis videtur; quando vero auertitur, tunc apparet, eius sanctitas.

59. D. Thomas citatus asserit, quod fides comparatur grano sinapis etiam fructu, & effectu: nam cum huiusmodi granum sit quid minimum, ita fecundat, vt crecat, & fiat arbor magna, ita vt volucres caeli habitent in ea, qua de causa fides, & Euangelium grano sinapis comparantur Matt. 13. num. 32. sic fides, quamuis videatur parua, paucisque contenta articulis; tamen per sanctam operationem ita crescit, vt omnes fructus iustitiae in ea habitent. Vnde dicitur: Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, ad Hebraeos 11. num. 33.

60. Fides ad huiusmodi miracula impetranda, ea est, quae constantissime Dei Omnipotentiam credit, & de Dei bonitate tantam concipit fiduciam impetrandi id, quod petit, vt nihil vacillet, & haesitet; sed summa firmitate persistat. Haec autem fides ad huiusmodi opera edenda, dicitur fides miraculorum, quam aliqui, vt Abulensis q. 165. existimant distinctam esse à fide Theologica. Melius tamen dicendum est cum D. Hilario, Caietano hic, Soto, & aliis, quos citat, & sequitur Suar. de fide disp. 8. sect. 1. num. 2. & 6. Fidem, quam Scriptura requirit ad miracula operanda, quoad substantiam, & essentiam, esse actum fidei Theologiae, ita elicitem, & applicatum ad hoc particulare factum, vt possit producere illam fiduciam, & alios actus ad miraculum impetrandum; de hac enim fide in praesenti Christus loquitur, & increpat Discipulorum incredulitatem, id est fidei imperfectionem; non autem illos reprehendit, quod fidem miraculorum, quae donum est gratis datum, non haberent, sed quod frigidi esset in fauore sanctae fidei catholicae.

61. Dices. Cum data sit Apostolis tanta virtus, cur nunquam illa vti viderentur, vt montes transferrent? Sylueira in Euang. Tom. IV.

Respondetur enim D. Chrysof. homil. 8. Euthym. D. Paschasio, S. Thoma. Primò. Quod si hoc non inuenitur ad Apostolis perpetratum, ab Apostolicis viris tamen est factum. Nam D. Gregor. Thaumaturgus montem, templi fabricam impediens, transtulit, vt refert Eusebius lib. 7. Histor. cap. 25. Et Christiani etiam in Tartarea, cum Tyrannus id exigeret, oratione etiam quendam montem transmigrarunt, vt testatur Paulus Venatus in Tartarea. Vel Secundò. Apostoli fortè fecerunt; sed non est scriptum. Vel Tertiò. Non fecerunt Apostoli, quod non fuit propter impossibilitatem; sed quia ad hoc nulla fuit necessitas, & ideo non fecerunt. Potestas in agente, magna excellentia est; & illius insignis decor omni potestate non vti, nisi quando occasio, & opportunitas exigit.

Matth. 17. Hoc autem genus non eicitur, nisi per orationem, & ieiunium.

VERSIONES.

Syriacus. Hoc verò genus [demoniorum] non egreditur, nisi ieiunio, & oratione.

ALTER TEXTVS.

Marci 9. n. 28. Et dixit illis: Hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione, & ieiunio.

EXPOSITIO X.

ECVNDAM adhibet Dominus rationem, cur Apostoli non potuerint eicere demonium. Prima enim fuit incredulitas, seu parua fides: nunc verò secunda apponitur. Hoc genus, scilicet demoniorum. D. Chrysofomus, Euthym. S. Thomas omne genus demonum significari intelligunt. Abulensis q. 172. in quod etiam inclinat D. Paschasius, Lunaticorum demonum genus esse aluit. Lyranus demones, qui ad libidinem prouocant, Stapletonus aduersus Haereticos affirmat, esse demones, qui diu quem piam possederunt. Caietanus demones denotari vult, qui homines reddunt surdos, & mutos. Addit Abulensis citato loco, apud Iudaeos pessimum fuisse habitum demonium surdum, & mutum, quale hoc erat; idque ex eo probat, quia Iudaei admirati sunt, eo quod Christus eiecisset demonem surdum, & mutum. Dixeruntque. Nunquam apparuit sic in Israel. Matth. 9. num. 33. & cap. 12. n. 22. & 23. Et ratio est. Quia surdus, & mutus destituitur omni adiutorio; nam cum sit surdus, non intelligit, quae dicis; & cum sit mutus, respondere non potest. In hac re mihi probabilius, Christum locutum fuisse de aliquo demonum genere potentiore, & ceteris nocentiore, vt sentit D. Leo serm. 2. de Ieiunio Septimi mensis, quale erat hoc demonium, quod reddebat hominem Lunaticum surdum, & mutum, eumque praecipitabat in ignem, & aquam.

Nisi per orationem, & ieiunium. Oratio, & ieiunium non requiritur in vtroque; in eo scilicet, qui miraculum operatur, ac in eo, qui illius donum suscipit, vt voluit D. Chrysofomus, & Theophyl. sed in eo dumtaxat, qui illud patrat, vt docet Origenes, qui etiam aduertit optime, quod ad miraculi fructum obtinendum, oratio, & ieiunium percipientis multum conducant. Ad hanc autem

Chrysof.  
Euthym.  
Paschas.  
D Thom.  
Quare Apo-  
stoli non fecerunt.  
Eusebius.

Paul. Venat.

Magna pote-  
statis excel-  
lentia, omni  
potestate non  
viti.

62.

Chrysof.  
Euthym.  
S. Thomas.  
Abulens.  
Paschas.  
Lyranus.  
Staplet.

Caietan.  
Abulens.

Matth. 9. & 12.

Leo.

63.

Chrysof.  
Theophyl.  
Origenes.